



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Mors naturalis & mors Christiana. tit. 235

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

&ceter. non per se & ex propria dignitate, sed quoni-  
am ex fide & dilectione Dei procedunt. fides nostra at-  
que dilectio ijs cultibus ornantur, ideo externæ ob-  
seruationes illæ non sunt nucleus, sed testa: nō virtus  
ipsa, sed ornamentū virtutis: attamē placent. Deo, &  
sua habet præmia, quoniā vincula & testæ sunt, in qui-  
bus includūtur huiusmodi virtutes & regnū Dei, &c.

*MORS NATURALIS ET  
Christianæ.*

TITVLVS CCXXXV.

**D**RIMÒ, notandum, quod stipendium pro-  
peccato, est mors in hominibus omni-  
bus, Roman. 6. Statutum est homini, cō-  
quod peccauit, semel mori, Hebr. 9. Hæc  
mors naturalis fit semel, sed spiritualis  
per peccatum fit sæpe, Proverbior. 24. Septies in die  
cadit iustus & resurgit. Hæc mors naturalis commu-  
nis est cum cæteris animalibus, attamen hominis est  
cum spe resurgendi & gloriæ acquirendæ cum filijs  
Dei, Rom. 8. id quod nō habent cæteræ creaturæ, &c.

Secundò, homo Christianus omnem hic curam de-  
bet adhibere, vt scilicet Christianè moriatur: quod fit  
si in fide Catholica moritur, quoniam sectæ regnum  
Dei non possidebunt, Gal. 5. Secundò, si in charitate,  
deposita omni inuidia erga quemcumque hominem,  
moriatur. Nam Christus iubet reconciliari fratri  
tuo ante oblacionem doni in altari, Matthæi, 5. etiam  
non vult corpus tuum aut animam habere, si cum in  
uidia recedit. Tertiò, si in pœnitentia cordis recedit,  
id est, dolet, quod vñquam Deum offenderit & pro-  
ximum, & petit sibi indulgeri, sicut & ipse indulget,  
Matthæi, 6. Quartò, quod omnia propter Deum vo-  
luntariè relinquat, donum, vxorem, filios, amicos,  
thesaurum temporalē, cogitans, quod multo amœ-

LL 5 niorem

niorum habitationem habebimus in cælis ; multo  
synceriores amicos, angelos, sanctos, &c, & etiamne  
liorem vitā, id est, æternā, & preciosiora bona, quin  
sunt hæc temporalia oīa, Esa. 64. quæ oculus nō vidit.

Tertiò, tria sunt quæ sathan suggestus in morte, &  
quibus angit nostram infirmā naturam: Primo, sug-  
gerit dolorem mortis: Secundo, terrorum Dei. Ecce  
multa mala & peccata fecisti, Deus tibi irascitur: Ter-  
tiò, æternam pœnam inferni : de illis tribus etiam  
scriptura dicit Eccles. 7. Memorare nouissima, id est,  
mortem, iudicium, pœnam & gloriam, & non pecca-  
lis, sed tu non memorâsti illa, &c. Illis tribus tenta-  
tionibus quilibet homo moriens tentatur. Hæc sunt  
ignita tela sathanæ. Ephes. 6. At oportet hominem il-  
la vincere, sed quomodo? Respondeo, oportet te hæc  
duo simul compræhendere, mortem & vitam propter  
Christum promissam, Ioann. 6. Subinde peccatum  
& gratiam propter gratiam per Christum. Postremò,  
infernum & cælum. Si enim vis inspicere solum mor-  
tem sine vita in Christo, solum peccatum tuum, &  
non victimam Christi, solum infernum & non victo-  
riam Christi, i. Corint. 15. tunc statim te sathanus  
met in desperationem. Si autem sic Christum insper-  
ris, nempe quod est vita æternâ promissa propter il-  
lum, & iustitia illius nobis imputabitur & quod fre-  
git infernū, tunc nihil poterit sathanas. Ideo dicit  
Christus Ioan. 16. Confidite, quoniam ego vici mun-  
dum, &c.

QVARTO, Hæc igitur est scientia scientiarum,  
quod homo norit quo pacto consolationem sibi met  
ipsi acquirat in Christo & hoc vult etiam Christus,  
Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onera-  
ti estis, & ego reficiam vos. & Ioann. 17. In mundo ha-  
bebitis pressuram, in me autem pacem. Est ergo Chir-  
stus nostra vita, Ioann. 11. nostra iustitia, i. Corint. 1.  
nostrum cælum & vita beata, i. Ioan. 5. Sic iterum va-

eritur sathanas, &c. Nemo ergo haec tria in seipso inspicere debet, &c.

*AN OMNES FIDELES, MORTUOS & VIUENTES, SIMUL ADHUC EFFICIUNT  
VNUM CORPUS MYSTICUM.*

TITVLVS CCXXXVI.

**P**RIMÒ, hęc est infallibilis doctrina Apostolorum, quod totum corpus fidelium facit unum corpus mysticum, cuius caput est Christus, & nos singuli membra, 1. Corin. 12. Ephes. 1. Colos. 1. Hoc corpus Christi mysticum quotidię crescit & augmentatur, quoties quis fidem eius acceperit & baptizatur, sed solum in die nouissimo erit completum. Ideo & in terris & in cęlis augmentatur, ubi iam caput, id est, Christus est usque ad diem nouissimum.

Secundò, hoc corpus mysticum Christi non dividit mors naturalis. Nam spiritus est immortalis, & ipsa caritas, quae nos hic adunavit, cum fide non excidit, 1. Corin. 13. neque Spiritus sanctus discedit ab illis quos semel hic possedit. Et Apostolus Ephes. 2. vocat fideles conciues sanctorum & domesticos Dei, q. d. simul estis conciues cęli hic & in futuro, mortui & viventes. Ergo hoc corpus Christi mysticum non dividitur morte naturali. Sic dicit Augustinus libr. 20. de ciuit. Dei, cap. 9. Mortuorum animae sanctorum non separantur ab Ecclesia, quae est adhuc in terris, aliqui neque ad altare Dei fieret eorum memoria, in communione corporis Christi, neque gratiae fierent DEO pro illis. Sic etiam libr. 10. cap. 7. dicit, quod cum ipsis sanctis sumus una ciuitas, licet ipsis in cęlis & nos in terra simus, sicut angeli in cęlis, & nos in terris omnes servi unius DOMINI & DEI sumus.

Tertiò, ex illo concluditur, si corpus hoc mysticum